Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Iunii hi dies .xxx. et .xxix. Prefacio Wolfhardi. in iunio mense.

Huius Opusculi Quinque precedentium librorum compendiis quibus patrum scripta scrutantes pauca de pluribus scribendo perstrinximus. nunc xpo propicio ut ad sexti inicium veniamus et consequens ratio postulat. et vera sacratissime presulhortatio cogit. que nos ad scribendum semper impellit. Laborem namque impendimus. verum ad laboris effectum pervenire nequimus. nisi ipse prestiterit qui pro se laborantibus in fine premium reddit. Unde et nos ab ipso postulamus auxilium. et pagine figimus stilum.

Vita Symeonis inclusi.

Vir dei Symeon. Patre greco Antonio dicto. matre calabrica in Sycilia civitate syracusana progenitus. a nobilissimis et xpianis parentibus xpi amicus est educatus. Cum vero bone indolis puer septem annorum esset. a patre qui militaturus erat constantinopoli deducitur. ibique eruditissimis viris sacris imbuendus litteris tradatur. et in timore dei diligenter enutritur. Adultus itaque incremento virtutum in dies cepit augmentari. videnscque quosdam ex nostris partibus desiderio infatigabili currere ad sepulchrum domini. desiderabat et ipse pro nomine xpi peregrinari. Despectis ergo cunctis mundi vanitatibus. abiectis desideriis carnalibus. domum. patriam. parentesque relinquens. pauper pauperem xpm sequi cupiens. sanctorum gratia vero solimam venit. ubi desiderio quo veniat loca passionis. resurrectionis. atque ascensionis. sepius frequentando aliquamdiu mansit. Post hec cum hylario quodam sanctissimo viro. qui pro hoc negocio habitabat per septem annos ductor peregrinorum fuit. Iam iam quidem totus in amore xpi fundatus. requisivit si in illis partibus aliquis inveniretur pro nomine xpi solitarius. cuius instrui moribus. cuius subdi valeret dogmatibus. Audivit quendam super ripam fluminis iordanis. in cuiusdam reclusione turris commorari. virtutibus preclarum. sanctitate conspicuum. Illum ergo tota mentis intentione sitiens. illius alloquio atque consortio frui concupiscens. requisitum reperit. inventum dilexit. eique tota devotione inhesit. et in quantum potuit devotissime ministravit. De illo xpi servo vir dei symeon multa solitus erat narrare. et quod prophetie spiritum habuisset his verbis edicere. Cum quadam die in inferioribus eiusdem turris partibus habitarem. et muliercula que camelos et cetera animalia in flumine ad aquam venerant. maniter et lasciue per fenestram prospicerem. per spiritum quicquid vanitatis retinerem in corde. vir dei in superioribus manens. et me omnino videre non valens cognovit. factoque signo in loco quo verba loquentis audire possem evocavit. mirique stupenti que egeram vel cogitaveram increpando retulit. atque tali sermone dulciter corripuit. Quid tibi prodest fili patria bona reliquisse. si mundi desideria et carnis illecebras in corde vis retinere. Si ergo cupis discipulus xpi fieri. non debes deinceps vanitatibus mundi implicari. Decet enim dei servum spiritualiter virtute esse circumseptum. ne callidus temptator decipiendi inveniat aditum. Cumque inter has et alias sermocinationes verecundo me videret rubore perfusum. noli ait. noli fili timere. bonam spem per dei gratiam habeo de te. Tuum est enim contra hostem pugnare. dei est auxilium prebere. ut possis evincere. Credo in deo meo quia maiora tibi parantur certamina. sed confide quia divina presens aderit clementia. Et inter cetera deus retribuat tibi karissime servicium quod mihi per hos annos impendisti. ego vero frequentiam populi amplius non possum pati. Cedendum est mihi alio ubi secretiori possim vivere loco. Inter turbas enim frequentantium meum non valeo implere propositum. Cumque multis lacrimis illum rogarem ut quocumque iret sequi possem non adsensit. sed me ad alia occupatum aufugit. me quoque ignorante quo abiret occulte reliquit. Igitur symeon dei famulus tanto patre viduatus. cogitare cepit quid ageret. anxiari quo se verteret. nec erat qui nutantem animum consolaretur. unde magis magisque turbabatur. Iam tamen heremiticam et solitariam vitam concupierat. sed quomodo inciperet fas non erat. Igitur vitas patrum frequenter legens et relegens intellexit nullum in heremo posse sibi prestare. nisi prius in monasterio didicerit sub esse. nec perfectum aliquem fore in contemplativa. qui exercitatus non fuerit in activa vita. Consolatus ergo bethleem [illegible] xpi preclaram civitatem adiit. seque in monasterio sancte Marie monachum fieri expetiit.